DISPUTATIO MEDICA


INAUGURALIS,

DE

PERITONITIDE PROPRIA.

AUCTORE RICARDO FRITH.

Quantum intersit, ut acutus et difficillime vincendus morbus, de quo in hoc tentamine inaugurali dicturus sum, primis indiciis detegatur inter ipsa initia, unicuique medico fatendum est; Peritonitis enim is est morbus, ut, quoties corpori penitus insedit, aegrotantibus perniciosissimus sit, et omnia medici auxilia, utcunque sint idonea promptaque frustretur. Non in animo est de ullis indiciis aut de ulla curationis ratione referre, quae non ipse conspexi in pluribus magnis et bene gubernatis Nosocomiis, quae frequentavi. Quod attinet igitur ad medendi rationem et signa diagnostica, quae



postea exponenda sunt meminisse licet, ea plerumque et praesertim in his Nosocomiis commode respondere visa esse, et animadversione et experientia confirmata ; ad finem autem hujus disputationis ea subjiciam quae, corporibus eorum, qui morbo extincti sunt, sectis, in conspectum data sunt.

DE MORBI DEFINITIONE.

A celeberrimo Culleno, in Synopsi ejus Nosologiae Methodicae in classe Pyrexiae et ordine Phlegmasiae ponitur ; et sic definitur :

"Dolor abdominis, corpore erecto auctus, absque propriis aliarum Phlegmasiarum abdominalium signis."

DE MORBI INDICIIS.

Ex omnibus membranis corporis serosis Peritonaeum unum a causis levissimis inflammationi maxime obnoxium est. Inflammatio autem, cui haec membrana opportuna est plerumque in duo genera diducitur, quorum alterum acutum est, alterum chronicum nominari potest. Inter prima acuti morbi indicia sunt, horrores, sitis, febris, pulsus citi. Ab initio morbi calor magnus cum dolore in abdo-

mine est; dolor primo in uno tantum loco fere est; aliquando tamen per totum tendit abdomen, sub manu prementi intenditur, et post aliquot horas, abdomen molestia generali et dolore magnopere auctis, tumet; praecipue in ea Peritonitidis specie, quae in foeminis parturientibus incidit, in quibus abdomen tumidum interdum eam fere aequat molem, quam, partu nondum edito, habebat. Ubi inflammatio ad summum increvit, pulsus a centum viginti quatuor ad centum sexaginta sex eodem temporis spatio numerantur, admodum tenues sunt, duri, contracti, et fili sensum exploranti digito imprimunt. Hoc tempore lingua, muco, qui colore lactis florem refert, obtegi incipit, (et etiamsi ea humida est, sitis magna urget; praesertim in Peritonitide puerperarum, quam frequenter vidi): at si signa morbi perniciosi in propinquo sunt, lingua sordibus fuscis obtegitur: per omne hoc tempus abdominis dolor et molestia, quae urgent, quam maxime intenduntur: pondus etiam lecti vestium fatigat, nec tolerari potest; et ut id levius fiat, utque abdominis musculi et praesertim Peritonaeum, relaxetur aeger supinus, cruribus abdomen versus reductis, cubat, et dolorem ingentem motus levissimus concitat. Experimenti causâ quidem manum egi lento motu deorsum ad aegrotantis abdo-

men, sed quum primum manum advenientem conspexisset, graviter commotus et miserabiliter affectus manum suam tenderet, ne mea corpus tangeret; corporis truncum autem minime movere posset. Si morbus usque perstat, aeger nauseam queritur et vomere parum certis intervallis incipit. Quum jam morbus ad summum pervenit, vomitus importunissime urget, neque quidquam in ventriculo retinetur, et a spasmo, ut opinor, ex infirmitate et irritabilitate orto aliquid, nulla musculorum abdominis ope, semper eructatur. Vultus pallet, et, appropinquante morte, illam faciem Hippocraticam induit. Si manum partibus extremis admovemus frigidae esse reperiuntur; sudor gelidus in fronte erumpit; jactatio magna est. Potum saepe aeger postulat, sed eum fere evomit; si alvus semel evacuata est, posteà maxime astricta est; si descendit, mucus redditur, nec quidquam simul stercoris; cum jam ad morbi finem ventum est, dejectio magna est, quod vix secundum est omen. Aegri saepe brachia agitant, oculos huc illuc volvunt, ad res, quae circa sunt, parum animum attendunt, partes extremae frigidae sunt, vires plurimum imminutae sunt. Si indicia morbi jam exposita; ea praesertim posterius enumerata usque ad tertium, quartum, quintum, et sextum dies inten-

duntur, aeger, nisi ratio idonea ea submovendi adhibita fuit, plerumque extinguitur, vesica quoque saepe stranguria implicatur. Corpus, dum haec indicia urgent, fere inflammatione generali cum juncta irritatione laborat. Morbus aut resolutione, suppuratione aut gangraena finitur; et ut facilis est diagnosis inter eos, mea opinione, superfluum est in hacce dissertatione de iis tractare.

DE MORBI CAUSIS.

Peritonitidem afferunt saepissime frigus cum humore alicui corporis parti, imprimis pedibus admotum, aut corpus exercitatione vehementi nimis calefactum subito eidem objectum, inflammatio quoque ventriculum, intestina aut hepar aliquando primo occupat, dein ad Peritonaeum tendit et id potissimum infestat, eruptiones a summo corpore repulsae, venena in ventriculum sumpta, podagrae aut aliorum morborum translatio, vehementis animi affectus inflammationem Peritonaei concitari reperta sunt. Causae frequentissimae quae morbum excitant sunt, operationes Chirurgicae et vulnera praesertim lacerata; quoties post haec abdomen exploratur, tactus impatiens invenitur; et dolor et tactus

impatientia haud parum intra horas viginti quatuor diffusa sunt. Multae praeterea causae sunt quas longum enumerare esset.

DE DIAGNOSI.

Peritonitidem propriam satis facile a Gastritide internoscere licet, in illo malo aeger minus tactum patitur, abdomen magis tensum est, latius dolet et praecipue ad hypogastrium, partes extremae magis abdomen versus reductae sunt, gastritidem ardoris sensus in epigastrio, vomitus gravior, singultus aliaque similia testantur; Peritonitis ab Hepatitide acutâ, nephritide, et Colica Pictonum facile differt. Ut maximi momenti ita difficillimum est morbum, de quo agitur, ab Enteritide distinguere, quae quidem nonnullis pro eodem morbo habentur; attamen haud parum inter se distant, etiamsi ad aegri lectum primo die vix fieri potest, ut commode inter eos dignoscatur. Vera autem Peritonitis in eo ab Enteritide differt quod dolor magis continuus est, premendo, antequam abdomen tensum evadit, intenditur, quod nullum alvi desiderium secum affert, nec malum, si alvus sponte descendit, quidquam levatur. In Enteritide autem abdominis dolor ali-

quid pungit, tendit et acutus circa umbilicum est, et nausea, vomitus, obstipatio pertinax urgent.

DE PROGNOSI.

Decessuri morbi spes est, quoties dolor et alia indicia paulatim sese remittunt, aegrotus manûs abdomen tangentis minus impatiens est, membra extendere erectusque sedere valet, quiete placida fruitur, cibos appetit, alvum justam sciens dejicit, sudor per totum corpus erumpit, pulsu simul firmo, pleno, et aequali; urina sedimentum demittit, spiritus minus laborat, atque ultimis morbi diebus alvus modice fusa est. Haec enim signa malum resolutione prospere finiturum esse testantur; contra metus est, si indicia cum horrore subinde accedente et sensus ponderis in parte affecta perstant, quippe quod suppurationem futuram esse significat. Sed maximum periculum denunciatur, si morbus, quod saepius fit, gangraena finitur; haec nonnunquam horis paucis post morbum inceptum oritur. Scire licet hoc malum incidisse, si, quum jam morbus celeriter processit et cuncta indicia intensa sunt, dolor repente se remittit, pulsus tenuiores evadunt, nec quam antea tardiores, dein, brevi inter-

posito spatio, adhuc magis vi imminuuntur, inaequales fiunt, et intermittuntur, lineamenta subsidunt, sudores gelidi et viscidi imprimis in fronte erumpunt, animi defectio, urinae suppressio, abdominis distensio, singultus accedunt. Urina stercusque, inscio homine, redduntur, atque extremae partes frigidae sunt, post haec signa terrentia, quae procul dubio mortem in propinquo esse testantur, miser tertio, quarto, quinto, sextove die tollitur.

DE PERITONITIDIS CURATIONE.

In peritonitidis curatione eadem fere medendi ratio, quae inflammationi aliorum viscerum convenit, adhibenda est, cum eo tamen, ut morbus, de quo agitur, magis promptam validamque opem desideret. Quoties autem mali natura ad plenum comperta est, medendi ratio in aperto est. Sanguinis detractio tum generalis, tum localis, illa praesertim, maximum habent auxilium; ad doloris magnitudinem magis quam pulsus conditionem spectandum est. Sanguis protinus primis diebus ad sex decem aut etiam ad triginta uncias mittendus est, si aegrotans, corporis plenitudine utitur, ne-

cesse esse potest iterum tantum sanguinis mittere quantum indiciorum vehementia postulat. Si aeger adhuc impubes est, pro aetate detrahendus est. Ad dolorem, quem aeger, pressa parte affecta, sentit, animum medico prae omnibus attendendum est, eo magis si is a sex ad horas duodecim vexavit. Si post sanguinem bis, ter quaterve missum dolor minus fit acer, et generalis molestia levior est, tum (nec ante curationem jam praeceptam) hirudines numero a quadraginta ad octoginta abdomini admovere expedit. Si hirudines plene sanguinem exhauserunt, emplastrum vesicatorium modica amplitudine imponendum, praesertim si dolor multum imminutus est; at si dolor adhuc aeque vexat, etiamsi sanguis iterum iterumque detractus fuerit, rursus ad venaesectionem confugiendum est; et eadem sanguinis copia saepius emittenda, si aegrotantis vires ullo modo patiuntur,* sin minus, minore copia, quam supra praeceptum est, detrahendus est, veluti ad uncias octo, hirudinibus atque epispasticis simul adhibitis. In peritonitide vera nunquam sanguinis detractioni locali, fidendum

---

* Interest enim in venaesectione non quae aetas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quae vires sint. Celsus, Lib. II. Cap. 10.

est, neque eam praecipiendum quidem, donec venaesectione dolor aliquatenus imminutus fuerit, aut donec affectus, quos partis inflammatio in corpore toto praestitit, partim sublati fuerint, ita ut malum ad vitium tantummodo partis propemodum redigatur. Tum hirudines plures admovere, ut sanguis perpetuo abdomine feratur, dein emplastrum vesicatorium satis amplum eidem imponere salutare erit. Post sanguinis missionem generalem remedia parti affectae admota magnopere proficiunt.

Decedente jam morbo, secundum quosdam medicos, oleum terebinthinae ad uncias duas tresve, cui adjectum est oleum ricini, saepe id afficit ut abdominis tumor minuatur, balneum quoque calidum et fomenta calida abdomini imposita saepe magnopere prosunt. A quibusdam medicis proditum est utile esse in hoc morbo per lintea e mistura camphorae et aqua expressa abdomen refrigerare. Indicandum praeterea est aliquando fieri ut, ineunte hoc morbo, aegri vires usque adeo infirmentur, pulsu ad carpum vix percipiendo, ut protinus moriturus videatur, nec is in quo curatione, quae supra comprehensa est, uti fas est.

In hoc casu igitur, ut antea, ad dolorem qui premendo movetur spectandum est, ex quo medendi rationem statuendum est. Et quoties dolor

maximus urget nullo indicio fortuito deterrendum est, ne auxilium in sanguinis jactura petamus. Et cito patebit recte statutum esse ex eo, quod sanguinis cursus iterum commode perficietur, languor decrescet et dolor quiescet. Hactenus de sanguinis missione deque optima partis curatione; proximum est ut parcè dicam de medicamentis, quae intrinsecus sumpta expediunt. Necesse est igitur alvus usque soluta teneatur et id efficiendum est ut intestina quam minime irritentur. Nihilominus tamen opus est medicamenta purgantia subinde praecipere. Pilulae in quibus duo triave submuriatis hydrargyri grana continentur pro re nata sumpta, et satis ampla copia infusi sennae cum magnesiae sulphate vel tinct. jalap. ad guttas viginti ex aqua menthae piperitae subinde post adhibita, stercore nigro foetidoque dejecto non possunt non opem afferre. Enemata emollientia intervallis infundenda sunt, quippe quae non modo alvum facilem servant, sed pro fomentis partibus internis sunt. Si magna ventriculi irritatio aut vomitus urget liquor mucilaginosus sumendus est, et potio salina, cui tinct. opii circiter gutt. tredecim adjectae sunt, dum effervescit, tertia aut quarta quaque hora bibenda est, aut ol. ricini uncia una ex aqua menthae piperitae cum tinct. opii guttis

decem duodecimve assumi potest. Si haec minus aegrotanti conveniunt, utendum est medicamento secundum hancce formulam: "R. Sulph. Magnes. scrupulos duos, Tinct. Jalap. gutt. viginti, quinque, Inf. Rosae drachmas septem, Syrup. simp. quantum suff. M."

Quò humores ad summum corpus ferantur et cutis halitus promoveatur, aliquod ex Diaphoreticis frequenter porrigendum est, et ad id ut somnus concilietur et dolor sublevetur, cum jam satis sanguinis tum generali tum speciali modo detractus esset, opii pauxillum addendum est, quantitate augendum, prout affectus ejus in corpore fuerunt. Dein, brevi spatio intermisso, cochleare unum vel alterum misturae camphorae assumere convenit; pro diaphoretico id quod hic explicatur, aliquando in Per. propriâ eximium est. Oleum terebinthinae distillatum ad drachmas sex octove, cui interdum adjectus est olei ricini par modus, interdum nihil nisi pura aqua addita, quidam experti sunt. Terebinthinae oleum melius Peritonitide puerperarum, et febre puerperali, convenire videtur, quanquam in hoc (viz. Per. propriâ) non secus atque in altero aliquot tantum exemplis profuit. Cum jam tota haec curatio de qua dixi adhibita est, et morbus plane se inclinavit, si aeger

infirmitate laborat ad Corticem Peruvianum et vinum confugiendum est. Si stranguria urget, balneo calido et diureticis utendum est. Si diarrhoea mediocris accedit minime compescenda est, nisi adeo vehemens evadet ut periculum afferat. Quod si incidit optimum est, primas vias granis rhaei viginti quinque purgare; dein, finita alvi dejectione, cinchonam praecipere, satis magna copia; at in Peritonitide cinchonae minor quantitas sufficit: drachma dimidia bis, horae spatio, data, quoties ingens urget debilitas maxime proficiet. Si alvus aliquid contracta est, postquam morbus in melius cedere coepit, medicamenta, quae leniter alvum solvunt, usurpanda sunt. Per totum morbi tempus aeger victu levi et nutrienti sustinendus est, exiguâ, aliquo tempore, copia et saepius sumpta, ita ut ventriculus nunquam se male habeat. Et hactenus de Peritonitidis curatione acutae dicendum erat, protinus transeam ad pauca disserenda de genere morbi vetusto, in quo non tam longo sermone opus erit.

DE PERITONITIDE CHRONICA.

Peritonitis Chronica haud raro acutum morbi genus sequitur, maxime si corporis depletio non satis peracta fuerit: hoc malum neque tam vulgare nec tanti momenti, quam altera morbi species est; magnum inter haec mala discrimen est.

Species Chronica enim lenta accedit, et secum affert dolores, qui summum pungunt abdomen, nec ullum ventris desiderium adest. Adeo tarde advenit, ut non tantum die septimo aut etiam duodecimo, quantum acutum mali genus die secundo, processerit. Pulsus paulo citiores sunt, quam consuevit, aliquando duriores quoque et tenuiores. Lingua mane potissimum albo tenacique muco obtegitur ad margines tamen nitida; si indicia maxime urgent, sordes subfuscae in ea se ostendunt. Pulsus arteriarum ad nonaginta octo, centumve numerantur, aliquando haud ita celeres sunt. Cutis plerumque naturalis est sed aliquatenus panis fermenti sensum dat praesertim in facie, quae simul pallet et languescit. Sitis haud exigua est. Rarius ulla febris exacerbatio aut rubor hecticus genarum ad vesperam accedit; ipse saltem id nun-

quam vidi. Interea malum altius insedit, donec ex aliquo casu, aut in eam formam, de qua jam dixi, vertitur aut lympha coagulabili effusa, ab inflammata parte, eademque partium vitae organis instructâ intestinorum orbes conglutinantur. In priore casu periculum maximum erit, ideo quod necesse est, aegri vires malo progresso plurimum imminutae sint nec minus est periculi in posteriori, quippe timendum est, ne motus intestinorum peristalticus intermittatur. Inflammatio interdum resolvitur, humore effuso, unde ascites nascitur, ex quo adhuc minus sanitatis spei misero est. Glandulae Mesentericae nonnunquam mole auctae sunt—sed de his vitiis postea erit dicendi locus. Signa, quae sanitatis spem praebent sunt levamen doloris abdominis pungentis, et pulsus imminuti ut septuaginta, octoginta, et nonaginta horae minuto numerentur—Veruntamen, etiamsi haec signa boni ominis apparent, morbus recidivus nunquam non timendus est.

In mali curatione a carne, omni cibo condito, et potu valido abstinendum est—Victus ex lacte et frugibus conflari debet. Si, nullo vulnere accepto, malum Chronicum ortum est, amplum Epispasticum dein fomenta calida conveniunt. Sed si pars ullo modo tumet, Hirudines aut cucurbitula ante

admovendae sunt. Et si totum corpus magnopere implicatur, * prius sanguis venaesectione mittendus est, quam hanc medendi rationem inire fas est. In quibusdam exemplis Epispastica etiam atque etiam, sex decemve dierum interposito spatio, abdomini admota plurimum profecerunt. Medicamenta, quae pilularum forma assumuntur, plerumque evomuntur, praecipue in Peritonitidis specie acuta—quum res ita se habent, potiones porrigendae sunt eo modo, quo, dum de acuta morbi specie agebatur, praeceptum est ; enemata quoque emollientia et item cathartica adjuvant. In levioribus morbi exemplis et item finem versus mali medicamenta ex Hydrargyro confecta, sicuti Hydrargyri submurias, quae Ptyalismum moveant, ipse plurimum prodesse vidi. In hoc morbo periculum ingens est, non modo ex eo quod tarde insidioseque invadens corpus labefacit sed etiam quod ut in malo vetusti generis nulla resolutio fieri possit.

---

* Mitti vero sanguis debet, si totius corporis causa sit, ex brachio : si partis alicujus, ex ea ipsâ parte. Celsus, Lib. II. Cap. 10.

DE CADAVERIS SECTIONE.

Huic disputationi finem imponam quaedam subjiciendo de iis, quae, mortuorum corporibus sectis, in conspectum veniunt. Hujus morbi praecipua sedes Peritoneum est; hujus membranae vasa exigua rubro sanguini quasi injecta apparent: in ventre quoque humoris major minorve copia est, qui saepe seri lactis colorem refert, in quo lymphae coagulatae natant frustula; intestina saepe aëre distenta sunt. In homine, qui morbo hoc extinctus fuit, conspexi Peritoneum vasis maxime refertum, et effusae a parte ejus interiori lymphae coagulabilis puncta exigua—et Tunica Peritonealis Intestinorum eandem speciem praebebat, humoris serum referentis copia parva erat, in eo tamen aliquot lymphae coagulatae frustula natantia vidi. Post mortem, Gangraena interdum conspicitur, interdum non. Hujusmodi inflammatio vulnere orta saepenumero Gangraena finitur. In aliquot hujus morbi exemplis Peritoneum usque adeo mutatum est, ut ad crassitudinem nummi argentei qui apud nos maximus est, pervenisset: semper minus pellucidum et mollius est. Ubi aliquae in-

flammata Peritonei partes a musculis abdominis diductae fuerint, inflammatio non omnino in eos penetrasse visa est. Ubi Peritoneum, quod intestina obtegit, inflammatione implicatur, non modo saepe in tunicam musculosam serpit, sed etiam ad tunicam villosam tendit. Id oriri videtur ex eo, quod Peritoneum minus cum musculis abdominis quam cum intestinis connectitur. Intestina tenuiora et item viscera conglutinata esse reperta sunt. Quod incidit aut ex inflammatione adhesionem moliente, aut ex strato materiae flavae pulpam referentis, quae effusa est. Aliquando ventris hydrops conspicitur ex inflammatione, effuso sero, resolutâ, ex quo miser in majore periculo versabatur. Nonnunquam seri loco pus magnâ copiâ inventum est. Ubi Peritoneum in toto aut in parte tantum inflammatum est, ita ut stratum lymphae effusum sit, homine tamen sospite, ea lymphae in membranam tenuem pellucidam vasculis refertam formatur, quâ membranâ adhesio fit. Eadem ex tela cellulosa constat, similis magnae totius corporis cellulosae telae ; non plerumque multa ostendit vasa, quae globulos rubros sanguinis excipere queunt, levissima tamen ortâ inflammatione, rubra vasa plurima ostendit. Nullum ex hac membrana incommodum oriri videtur. Celeberrimus Baillie scripsit

sibi contigisse videre aut cuncta abdominis viscera inter se adhesionibus hujusmodi commissas aut alia aliis connexa. Saepe fit ut glandulae Mesentericae tumuerunt, sed raro pus aut materia casea in iis conspiciatur, ita ut minime pro vitio glandularum strumoso habeatur, nec alius esse videtur atque earum tumor, ab irritatione membranae inflammatae ortus quâ circumdantur. Hydatides magnae in quibus humor limpidus pellucidusque reperitur, in omento et in aliis abdominis partibus, utrum vero ab inflammatione ortae sint necne nequeo pro certo affirmare. Plurima alia praeter naturam in abdomine conspiciuntur; quoniam vero non Peritonei inflammationes effectus sunt, alienum a re judico in ea descendere. Et hactenus de generibus morbi praepositi disserui tantâ cura et diligentiâ quanta hujusmodi disputationis natura et limites pati possint. Et tandem ad finem perventum est, et nunc restat, ut gratias reddam Professoribus hujus almae Academiae, quorum praelectiones mihi tantum profuerunt; et ut eorundem Veniam, ob plurimas mendas quas in paginis praecedentibus, invenerint, petam.

FINIS.